Historia Ecl. Polon.

Nucerini Seb. Oratio in inceptione lectionum in domo Ordinandorum Cracoviae a. 1603 habita.

ORATIO IN INCOEPTIONE LECTIONVM IN DOMO ORDINANDORVM,

Cracouiæ, die SS. Primi & Feliciani mart. Anno Domini, 1603.

A

SEBASTIANO NVCERINO S. T. D. &c.

HABITA.

CRACOVIÆ,
In officina Andreæ Petricouij.
Anno Domini, 1603.

Ad Illustriss: ac Reuerendiss: Dñm,

D. BERNARDVM MACIEIOWSKI,

EPISCOPVM CRACOVIENSEM, DVCEM SEVERIEN. &c. &c.

MOnuisti me aliquoties, Illustriß: Antistes, vt tibi Orationem, seu veriùs lectionum in domo Ordinandorum incœptarum, Præfationem coram te habitam, scripto traderem. Voluisti credo ostendere, duos sensus ad scientiam comparandam, naturâ esse datos, visum & auditum: & quia hunc, cùm præsens primæ lectioni adesses, testem instituti nostri litterarij habuisti, illum quoque vt haberes, quod aure audisti, descriptum oculis subiici, mandasti. Ego qui cætera alia, arbitrio tuo facio ac facere debeo: debui & in hac re tibi obsequi. Accipe ergo Illustriß: Præsul, præsilientem Professionis fidei, & Fori pænitentialis explicationi, qualem qualem orationem: ac mihi vt in vtroque voluntate & studio proficiam, benedic.

Illustriß: ac Reuerendiß: C. T.

deditißimus sacerdos,

Sebastianus Nucerinus
S. T. D.

ORATIO.

ORdinandorum domum instituere, ac clero ad sacros Ordines per gradus ascendenti, Scholam probitatis litterarumq; aperire, propositum est, & tibi Antistes Illustrissime, & vobis admodum Rñdi Patres: Vtinam tam fœlici successu quàm concordibus suffragiis. Iudicastis enim omnes, ordinem in mundo hoc, esse velut ducem, quo res quælibet ad destinatum sibi à Deo finem, quasi manu ducitur & dirigitur: & quo sublato, non solùm vniuersa retrocedere, sed misceri primùm, deinde ruere est necesse. Hinc & exercituum duces, vt victoriam reportent: hostilem aciem perrumpere, turbare, statione sua quemq; dimouere, quàm maximè cupiunt: vt sic turbata acie, velut pisces aquis turbatis, hostes in manus Imperatoris deueniant. Non indissimilem cladem, Auditores, Ecclesia Dei, quæ est vt castrorum acies ordinata, heu propendet, in qua, statione quisque sua quasi depulsus est, cùm nec Subdiaconus munus proprium, nec Diaconus ordinis sui institutum, nec Presbyter (vt alios prætere(am) suum officium nouit facere: omnesq; ordines, (& ij quidẽ sacri) sine ordine, hoc est, sine duce, ad ædificationem corporis Christi, & cõsummationem sanctorum temerè tendunt. Quod malum, ne amplius pergat crescere: conuenistis videre de verbo hoc, in proxima Synodo Diœcesana

D. Thom: par:1.quæ: 22.ar:1:

Crac. tu Antiſtes Illuſtriſs: & vos Patres admodũ Rñdi: malumq́; dum in herba eſt euellendum præclarè ſtatuiſtis; ac domum Ordinandorum erigi, in qua bonitatis & diſciplinæ & ſcientiæ ſemina clerus, ab ipſo ſpiritualis ſtatus ingreſſu, combiberet, decreuiſtis. Quod vt tandem quomodo fieri debeat intelligatis: totam ſtudij rationem, quam hi Ordinandi ſequi ac tenere debebunt, vobis exponam: oſtendamq́; quomodo in conſcientia bona & fide non ficta exerceri & excoli clerus habet neceſſe, vt fructum afferat, & ſciat officium Sacerdotum ad populum. Vos modò Auditores, me vt cœpiſtis bona cum venia, de vtroq; breuiter dicentem, audite.

Qui de Sacramentorum ratione, via certa inueſtigant ac diſſerunt, bifariam illa ſolent diuidere: alia enim ex ſe & fine inſtitutionis ſuæ ad propriam ſuſcipientis ea ſalutem & perfectionem ſunt propoſita, vt Baptiſmus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, & extrema Vnctio: alia non ad propriam ſuſcipientis vtilitatem, ſed ad aliorum emolumentum, atq; adeò ad totius Eccleſiæ commodum, vt ſacer Ordo & Matrimonium. Quod cùm ita ſit, facilè vnuſquiſq; veſtrum intelliget, quam ob cauſam ego duplex potiſsimè ſtudium Sacerdotibus præ oculis eſſe habendum dicere inſtitui: Cognitionem ſcilicet Controuerſiarum fidei & Caſuum conſcientiæ. Duo enim ſunt, quæ omnes homines (in quorum lucrum animarum ſacer Ordo fidem ſuam obſtrinxit) aberrare, ac vel ad dexteram vel ad ſiniſtrã declinare

clinare impellunt: falsa fidei doctrina & vitæ mo-
rumq; improbitas. Excluditur quis à ianua cœli:
in promptu causa est, vel quia malè credidit, vel
quia vixit impiè. Est enim hæc vita, mari magno &
spatioso similis, quod duas Syrtes, omnes quotquot
illis imprudenter & satis cum periculo adnauigant,
absorbentes continet, Scyllam & Charybdim: quas,
quicunq; fœliciter ad portum applicare voluerit,
pari conatu & diligentia prospicere ac euitare ha-
bet necesse. Quid enim prodest, euitata Scylla in-
cidere in Charybdim? Scylla vitæ est hæresis, Cha-
rybdis, fœda viuendi ratio operumque impuritas:
Vtramq; euadere qui cupit, debet & odisse eccle-
siam malignantium & cum impiis non sedere. Ne-
quaquam enim assentimur, seu parenti erroris Eu- *Aug: lib: de hær: ca: 59.*
nomio, seu pronepotibus eius Lutheranis, qui fidem
sine operibus ad salutem sufficere docuerunt: para-
tiores D. Iacobi Hierosolymorũ Episcopi sententi-
am amplecti, qui contra Patriarcham prædictorum *Iren: lib: 1. cap: 20.*
sectariorum Simonem Magum epistolæ suæ argumẽ- *Barõ: an: Chri: 63. num: 11.*
tum velut arcum tendens & sagittam dirigens sic di-
sputat: Quid proderit fratres mei, si quis dicat fidẽ
se habere, opera autem non habeat? Nunquid po-
terit eum fides saluare? D. autem Augustinus sug- *Lib: 5. de Trin: cap: 18.*
gerit: Fides sine operibus potest quidem esse, sed
non prodesse. Non satis ergo est fidem habere, &
eius ope, ac velut remigatione, Scyllam hæresis eua-
dere: euadere tamen hanc, ac cursu rectè instituto
prætemauigare, omnino est necesse. Quod quomo-

do cuiusque rei studio hi iuuenes sunt facturi, mox aperiam: si prius quæ omnium hæresum occasio & origo fuerit, ex sententia veterum Patrum, patefecero. Sicut enim apud Medicos, magna immò summa laboris pars est, quod sit morbi initium & quæ causa, ingenio peruidere: ita in hac animarum seu errantium & foris positarum reuocatione, & ad ouile reductione, seu in ouili consistentium pia & recta institutione, maximi semper est habitum radicem pullulantis zizaniæ refodere, ac illa radicitus semel euulsa ne iterum succrescat, metu liberari. Hanc

Lib: 3. ergo primam hæresum occasionem, originemq; Origenes, contra Celsum disputans, sic prodit: Nullam vnquam (inquit ille) extitisse rem magnæ existimationis, & communi vitæ vtilem, quæ non in varias sectas discissa fuerit. Quot enim in medicina praxes? quot in Philosophia opiniones? quot in lege veteri sectæ prodierunt? Eodem modo quia Christiana religio, magnum quiddam & venerabile visa est hominibus, non solùm seruili ingenio præditis (vt Celsus calumniabatur) verumetiam multorum Græcorum eruditis: dum omnes venerantur sacras scripturas, in re insigni, quilibet suo sensu insignis esse & excellere voluit, & quasi formosam sponsam quisq; ad se trahere. Hæc Origenes de origine sectarum præclarè & subtiliter, & ad mentem eorum qui de eadem re olim sunt locuti. Nam & Dauid cùm diminutas veritates à filiis hominum quereretur, quid causæ attulit? Linguam nostram, inquit

ille, (pro-

ille,(prout dixerant insipientes in corde suo)magnificabimus, labia nostra à nobis sunt.Ipse verò Christus Dominus quid de earundem hæresum, ac omnis falsitatis origine, docuit? Qui, inquit, ex propriis loquitur,mendax est. Proprium perdit Monachos, proprius sensus hæreticos. Quia ergo ex propriis loqui, linguam suam magnificare, in adinuentionibus suis ire, omnium errorum & hæresum radix est: quid varias has pestes expurgare ac extinguere meliùs poterit,quàm proprio sensui communem & Catholicam fidem: linguæ suæ magnificationi, os Petri, per quod elegit Deus gentes Euangelium audire & credere: adinuentionibus suis, id quod visum Spiritui sancto, & iis quos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, opponere: aut veriùs tanquam emplastrum morbo, qui velut cancer serpit, apponere? Expectatis quid tale proferam? Professionem inquam fidei à Concilij Tridentini patribus conscriptam, & promulgatam: qua duce, inexplicabiles hæresum opiniones, euadere quisq; facillimè potest ac tenetur.Est enim velut illud filum, quod Ariadna Theseo ad superandas labyrinthi tricas & anfractus tortuosissimos, velut lucernam pedibus & indicem viæ veritatis & vitæ dederat. Hoc ego filum fidei, lectione matutina coram oculis horum iuuenum, Deo auxiliante, expansurus sum: vt quomodo contextum sit, oculis ingenij peruideant & animo complectantur: vsuq; ita tractare & trahere illud consuescant, quo

 eos qui

eos qui foris sunt, abalienati ab vtero Ecclesiæ, loquentes falsa, è lacu hæresis, velut fune, valeant extrahere & auræ salubri salutiq; reddere. Hic erit primus labor, qui & intellectum dabit paruulis, & Scyllam hæresum, quasi protensa manu indicabit, erroresq; fidei euadere faciet. Sed nequaquam est hîc consistendum. Superest enim Charybdis vitæ improbæ, peccatorum vorticibus bulliens: quæ, ô Christe IESV, quot Catholicos, qui sibi de fidei veræ & Christianitatis nomine blandiebantur, absorbuit ac perdidit? Latissimum est regnum peccati, & multi sunt in quorum mortali corpore regnat. Ad errores enim fidei, nisi ab alio persuadeatur, vix aliquis impingit: ad liberiorem autem & insolentem viuendi modum, sensus & cogitatio cordis humani, ab adolescentia prona ad malum, per se trahunt & ruentem propellunt. Clerus igitur totus, qui ex institutione, vt diximus, sua, non proprio sed aliorum commodo sese deuouit, euigilare ad remos capiendos superandamq; Charybdim, & peccati regnum expugnandum, quàm maximè debet. Huic operi faciendo, laboris & studij nostri partem alteram assigno, ac remedium improbitatis & peccatorum produco ac nomino: Forum Pœnitentiale, seu doctrinam de peccatis, quibus cadit conscientia, & illorum remediis, quibus adiuta consurgit. Vel vt verbis D. Bernardi, apud te Illustriss: Bernarde v-tar, de duplici malo: altero quod facimus, id est peccati, altero quod patimur, id est pœnæ. Quicquid e-

Ser: quo: dup: malũ cooper: in bonum.

quid enim à nobis cum offenſione legis diuinæ fit, peccatum eſt: pœna verò, quicquid cum offenſione noſtra accidit; ſeu in foro interiori pœnitentiæ (inter me & te vocat Euangelium) ſeu in exteriori iudicii, cùm dicitur in facie Eccleſiæ. Trium horum, peccati inquam, ac duplicis eorum remedii tractationem, Forum pœnitentiale, quod ego iuuenibus hiſce horis pomeridianis, Deo auxiliante, prælecturus ſum, nominare placuit. Sed vereor, ne titulus hic operis, ipſo opere ſeu potius ingenio noſtro, maior eſſe ac malè cohærens videatur. Nam & calceus ſi pede maior erit, ſubuertet; ſi minor, vret: & Diogenes ad Mindyos veniens, ac illos paruæ ciuitati portam ingentem extruxiſſe conſpicatus, ſic inclamaſſe cum riſu fertur: Claudite portas Mindy, ne ciuitas exeat. Diogenem & ego pertimeſco. Sed quam ob cauſam lectionem de caſibus conſcientiæ & expugnatione regni peccati, nomine hoc inſignire libuerit; ſic pro me reſpondeo. Fori communis & officinarum mercatorum hanc eſſe differentiam quiſque intelligit, quòd in iis ea quæ ad ſplendorem atq; adeò luxum pertinent, venduntur: in foro autem præter illa quæ ad victum ſimplicem ſpectant, vix quicquam aliud inuenias. Holoſerici, panni auro intexti, & alia huiuſmodi, pompæ & irritamenta malorum, extremis portata ab Indis, in cameris mercatorum aſſeruantur: in foro autem, panis, lac, olus, quod infirmus manducat, venum exponuntur. Hi

tur. Hi ergo iuuenes qui nunc ex humanioribus litteris euocati, primum ingressum ad litteras sacras parant; & quibus lacte non solido cibo opus est: nunquid alibi, quàm in forum vbi hæc venduntur, duci debuerunt? Peccatorum futuri sunt medici: quid ergo aliud primùm, quàm pro emplastro pœnitentiæ conficiendo species simplicium cognoscere, necesse habuerunt? Nequaquam igitur superbè sapere in foro hoc pœnitentiæ nobis propositū est; sed sapere ad sobrietatē: vt scilicet hi iuuenes, peccati ac eius duplicis in foro vtroq; pœnitētiæ nacti scientiā: Charybdim vitæ improbæ & ipsi euitare cōsuescant, & alios quod eorū muneris est pręcipui, præternauigare seu iam naufragantes periculo mortis eripere sciant. Hæc lectionum nostrarum summa est, Auditores, hæc laboris pars duplex: & hæresum labyrinthum filo professionis fidei duce peruadere, & peccati regnum, fori pœnitentiæ cognitione, excutere. Hac ergo propositi nostri ac totius studii reddita ratione, ad vos iam ô iuuenes, qui in sortem Domini estis vocati, orationem conuerto: & quomodo in vtraq; hac lectione, atq; adeò in omni litterarum studio proficere valeatis; antequam finem dicendi faciam, breuiter, vt cœpi, patefaciam, seu veriùs proferam patefactum à Salomone sic dicente: Fili, concupiscens sapientiam, conserua iustitiam: & Deus præbebit illam tibi. Quàm multi enim sunt, qui iustitiam operum, quam puritas animi consequitur,

quitur,

quitur, negligunt: & ſcientiam quam cordis inflãmatio comitatur ambiunt? Excolunt doctrinis intellectum, voluntatem ſpinis ſcelerum obrui ſinentes: ac ita in profectu litterarum ne proficiant obicem ponentes. Quid enim intellectui bono magis, quàm voluntas mala obeſſe poterit? Experimur, ruinam vnius parietis, alteri parieti vicino multùm incommodi adferre: & vmbras vicinarum arborum agris adiacentibus plurimùm ſterilitatis inducere: quid autem tam vicinum eſt atque rationi voluntas? quæ vmbra magis peſtifera, quàm intellectui cœcitas, voluntatem occupans? Quamobrem rectè Chriſtus Dominus ſubmonuit: Si quis voluntatem meam facere voluerit, cognoſcet de doctrina mea. Multi ſunt qui de doctrina volunt cognoſcere, ſed non voluntatem facere: Omnes intelligere cupiunt, ſed non à mandatis cum Dauide: omnes ſcientiam illuminantem cenſent, nemo obcœcantem quandoq; eſſe, ſecum reputat. Eſt enim ſcientia puluis, quem ſi proiicit ventus à facie terræ, oculos lædit ac excœcat: ſi verò ſaliuæ Chriſti miſceatur, oculos cœcos illuminat. Eſt ſcientia & odor mortis Adamo, volenti, vt eſſet ſicut Dii ſciens bonum & malum: eſt & odor vitæ, non homini quem diabolus ſeduxit, ſed quem Dominus deduxit per vias rectas, & oſtendit ei regnum Dei, & dedit illi ſcientiam Sanctorum. Hanc ergo ô iuuenes, & non ſcientiam mundi, ante oculos vobis in

toto

toto hoc quod incœpturi estis studio, ponite; & ne ordiamini telam & non ex Deo, ad Patrem luminum conuertimini & dicite: Deus de cœlo vide, & visita vineam istam, quam plantauit dextera tua. Tu verò Illustriss: Bernarde, funde oleum benedictionis tuæ desuper, vt lapis huius primæ lectionis, in titulum erigatur.